

sponte fidem deserit: quando vel latrocinis, vel perjuriis, vel fornicationibus, vel veneficiis, aliisque hujus mundi sceleribus, se infideli simile reddidit.

Justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. Propter peccata terre multi principes ejus, & propter hominis sapientiam & horum scientiam qua dicuntur, vita dulcis longior erit. Vir pauper calumniis pauperes, similis est imbri vehementi in qua paratur fames. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succeduntur contra eum. In occursum bestiarum idcirco leo non trepidat: quia prevalere se omnibus non ignorat. Unde viri justi securitas leoni recte comparatur: quia contra se cum quolibet insurgere suspicit, ad mentis suae confidentiam redit, & scit quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit, quem invitus nullo modo amittit.

Vir mali non cogitant judicium: qui autem requirunt Dominum, animadvertunt omnia. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem peritit conestator, confundit patrem suum. Qui concervat divitias usuris & fenore liberali, in pauperes congregat eas. Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Omnia animadvertunt electi: hoc est, & futurum esse discrimen universalis judicii, & quibus operibus requies, quibus poena retribuatur aeterna.

Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corrumpet, & simplices possidebunt bona ejus. Sapiens sibi videtur vir dives, pauper autem prudens scrutabitur eum. Qui per doctrinam haereticam decipit amatores justitiae ut a veritate deviant, ipse quidem pro malis suis poenam quam meretur, incurrit: bona autem si qua gerebat, vel utilia scribendo, vel continenter vivendo, aliis in adiutorium cedunt, eis nimirum qui haec legentes sive audientes, exempla sibi salutis etiam ab eo quem perisse norunt, assumunt.

In exultatione justorum multa gloria est: Quia videlicet non de praesentibus divitiis, sed de aeternis in futuro bonis exultant: non de rebus mundi que vident, sed de creatore mundi, cujus visionem sperant, letantur, dicente psalmo-grapho: Letamini in Domino, & exultate justi. Vel certe in exultatione justorum multa fit gloria: quia quoties electos in hac vita pro eventibus Ecclesiae prosperis exultare contigerit, multa Domino gloria ex plurimorum fide, ac piis operibus datur.

Regnantibus impiis, ruina hominum. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sicut multi gloriam Deo dare incipiunt, cum justos in profectu virtutum gaudere conspiciunt, ita quoties reprobi regnum tenent, multos suae perfidiae complices exhibent. Quod & de paganis & haereticis, & de malis Catholicis recte potest accipi.

Beatus homo qui semper est pavidus: qui vero mentis est dura corrumpet in malum. Sequentis ira judicii, tanto tunc districtior portabitur, quanto nunc inter culpas minime timeatur. Unde alibi scriptum est: In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne inmemor sis bonorum. Sic ergo utraque jungenda sunt, ut unum semper ex altero fulciatur.

Leo rugiens, & ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Dux indigens prudentia, multos opprimit per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus. Et de principibus paganis, & de haereticis potest intelligi, qui populi pauperis, id est, sanctae Ecclesiae, vel patientiam, vel sapientiam, ferina saepe saevitia tentant.

Homines qui calumniatur anima sanguinem, si usque ad locum fuerit, nemo sustinet. Qui ambulat simpliciter, salvus erit: qui perverfis graditur viis, concidat semel. Qui operatur terram suam, saturabitur panibus, qui autem seltatur otium, replebitur egestate. Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens. Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit: iste & pro buccella panis deserit veritatem. Sive terram agri, sive terram corpulculi qui exercet, saturabitur, ille frumento, ille virgibus: qui utraque spernit, replebitur egestate.

Vir qui festinat ditari & aliis invidet, ignorat quod egestas superveniat ei. Qui corrumpit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per lingue blandimenta decipit. Qui subtrahit aliquid a patre suo & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidae est. Qui se

jaelat & dilatat, jurgia concitat: qui vero sperat in Domino, salvabitur. Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapiens, ipse laudabitur. Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Profecto enim qui augere opes ambit, & peccatum negligit, more avium captus, cum escam terrenarum rerum avidus inspicit, cum qualibet praesentis mundi bona desiderat: & quae de futuro damna patiat, ignorat.

Cum surrexerint impij abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur justi. Viri qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, & eum sanitas non sequetur. In multiplicatione justorum letabitur vulgus: cum impij sumperint principatum, gemet populus. Vir qui amat sapientiam, laesicat patrem suum: qui autem nutrit sortum, perdet substantiam. Rex justus eriget terram, vir avarus destruet eam. Eos homines justos appellat, qui videlicet justum statutumque a Domino humane conditionis ordinem servant. Unde in libro beati Job, de poenitente quolibet perverfo dicitur: Respiciet homines, & dicet, peccavi. Quod est aperte dicere: Respiciet eos qui naturam humane creationis recte custodiunt, & se peccando jumentis assimilatos esse cognoscunt. Patet ergo lenius: quia fervente impiorum persecutione, abscondentur saepe fideles, vel non ausi, vel non permisi ad publicum procedere, dicente Domino: Si vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite ad aliam. Ubi autem perditis autoribus persecutio cessaverit, augstior post pressuras fidelium gloria clarescit. Sed & infidelium plurimi visa infidelitatis damnatione, fidei gratiam suscipient, juxta id quod scriptum est: Pestilente flagellato, sapientior erit parvulus.

Caput XXIX.

HOMO qui blandis fctisque sermonibus loquitur amico suo, recte expandit gressibus ejus. Qui fctis sermonibus proximum laudat, illi quidem parat insidias, quibus periculum incauti operis aut verbi securior factus incidat. Sed vix deamus utrum retia fraudulenta eum cujus gressibus expanduntur, an potius illum a quo expanduntur, involvant. Sequitur:

Peccantem virum iniquum involvet laqueus, & justus laudabitur atque gaudebit. Novit justus causam pauperum, impius ignorat scientiam. Homines pestilentes dissipant civitatem, sapientes vero avertunt furorem. Non ergo iusto laqueus peccantium, etiam si corporaliter perimat, nocet: ipsos autem reprobos insidiae quas proximis parant, in perpetuum damnant, gaudentibus justis, ac rectum conditoris judicium laudantibus, vel de sua ereptione, vel de perditione pravorum. Denique clausulam prioris versiculi antiqua editio manifeste posuit: Retia circumdat suis pedibus. Ex ambiguo enim Graeco quod est πειλάταις utrumque interpretari potest. Nam qui fodit foveam proximo suo, incidet in eam ipse, ut alibi dictum est.

Vir sapiens si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem. Viri sanguinum oderunt simplicem, justus autem quarunt animam ejus. Doctor sapiens si cum infideli & contumace contenderit, sive tormenta reproborum, sive gaudia narret bonorum, frustra erga insensatum laborat. Sive lamenta poenitentiae suadeat, seu bona operationis quae sint praemia dicat: non auditur a stulto. Hinc & Apostoli Judaeis dicebant: Lamentavimus vobis, & non planxistis: cecimus vobis, & non fastidistis.

Totum spiritum suum proferit stultus. Impatentia impellente agitur, ut totus foras spiritus proferatur. Quem idcirco citius perturbatio ejicit: quia nulla interius disciplina sapientiae circumcludit.

Sapiens autem differt & reservat in posterum. Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Lelus enim in praesens, se ulcisci non desiderat, quia etiam tolerans parci optat, sed tamen vindicari omnia extremo judicio non ignorat. Hunc locum antiqua translatio sic habet: Totam iram suam proferet impius, sapiens autem dispensat per partes: quia nimirum stultus ad ultionem sui, iram perturbatione succenditur: sapiens autem paulatim eam maturitate consilii ac moderationis extenuat & expellit.

Pauper & creditor obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus. Pauper est humilis verbi Dei auditor: cre-

ditor autem, qui ei verbi ejusdem pecuniam praedicando committit. Qui obviat sibi, cum in unam tandemque pietatis gratiam conveniunt. Et utriusque illuminator est Dominus, quia neque ille sine divina munere pietatis praedicare, nec ille potuit credere. Veridica namque manet veritatis sententia, quae dicit: Quia sine me nihil potestis facere.

Rex qui judicat pauperes in veritate, thronus ejus in aeternum firmabitur. Et psalmista de Christo rego: Sedes tua Deus in saeculum saeculi, virga aequitatis, virga regni tui.

Virga atque correctio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittit voluntati suae, confundet matrem suam. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, & justis ruinas eorum videbunt. Erudi filium tuum, & refrigerabis te, & dabit delicias animae tuae. De hac virga Apostolus ad Corinthios ait: An vultis in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis? Puer namque quem frequentissime corripimus & eruditum admonet, populus Dei est, qui si non assiduis monitis & increpationibus sacerdotum fuerit castigatus, confusionem generat Ecclesiae: detraheantibus his qui foris sunt religioni fidei Christianae. Unde recte subjungitur:

Cum propheta defecerit, dissipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est. Quia nimirum cum cellaverit sacerdotalis eruditio, solvetur continuo disciplina divina legis: qua populus ad beatitudinis praemia peringere debuerat.

Servus verbis non potest erudiri: quia quod dicit intelligit, & respondere contemnit. Servus, qui videlicet peccator, recte quidem intelligens, sed in opere veritatis absque flagelli disciplina respondere contemnit. De talibus ait veritas: Servus sciens voluntatem Domini sui & non faciens, dignè plagis vapulabit multis.

Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quam illius correctio. Grave quidem vitium stultitiae, sed non levis est verborum. Nam saepe contingit ut idiota aliquis & ipsarum quoque necius literatur, citius verba salutariter correctionis accipiat, quam si qui affluentia praeditus sermonis, magis sua, quae novit, vel quae se nosse autumat, jactanter proferre, quam dicta sapientium audire contendit.

Qui delicate à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet illum contumacem. Qui delicate à pueritia nutrit corpus suum, quod animo debuerat subjugare, is ubi ad annos adolescentiae pervenerit, lasciviosum hoc & indomabile sentiet. Hunc versiculum alia translatio pulchre habet: Qui deliciae ut à pueritia, servus erit, novissime autem contristabitur. Namque sero malorum poenitet, qui se meminuit noluisse in tenera aedore aetate à suis voluptatibus ad regulam continere prudentium.

Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccata proclivior. Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. Janua vitiorum omnium, iracundia est: qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur quies, aperta vero ad omne facinus armabitur animus.

Qui cum fure participat, odit animam suam: adjurantem audit, & non indicat. Auditorem suum sapientia non solum à peccatis abstinere, sed & à peccantium se contubernio docet cohibere, ne forte à districto iudice mereatur audire: si videbas furem simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Non enim fur solummodo, sed etiam ille reus tenetur, qui conscius furti, quarenti possessorem pecuniam qui perdidit, non vult indicare cum valet. Verum ne quis causetur metu se personae potentioris, neque à furum consortio separari, neque prodeire posse quod novit, aptè subditur:

Qui timer hominem, cito corrumpet: qui sperat in Domino, sublevari. Multi requirunt faciem principis, & judicium à Domino egredietur singulorum. Abominantur justus virum impium, & abominantur impij eos qui in recta sunt via. Verbum custodiens filius, extra perditionem erit. Cui congruit illud Evangelicum: nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem vestram non possunt occidere.

Caput XXX.

VERBA congregantis, filii vomentis. Huculque Parabola Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae Re-

gis Juda. Hinc rursum verba Salomonis, ab ipso quod Graeco βαλλωνος dicitur, nunc interpretato in Latinum nomine illo, congregans appellatur: Ecclesia enim congregatio vocatur.

Viso quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait: Visio, inquit, quam locutus est vir: quia quod vidit apud Deum secretiora contemplantando, patefecit hominibus foras loquendo. Quisquis enim Dei spiritu confortatur, haec quae sequuntur humiliter corde profatur.

Stultissimus sum virorum: & sapientia hominum non est mecum. Filii enim saeculi hujus, prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt, & Apostolus: Si quis, inquit, videtur sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Et ipse de se suisque similibus, in quibus est Deus: Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.

Non didici sapientiam, & novi sanctorum scientiam. Non didicit Salomon ab homine sapientiam, sed Deo gratis offerente percepit, ut sanctorum scientiam nosset. Sed & Apostolus qui ait: Nos stulti propter Christum, ipse iterum dicit: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non hujus saeculi, neque principium hujus saeculi qui destruantur.

Quis ascendit in caelum, atque descendit? Haec est sanctorum scientia, quae à sapientibus saeculi stultitia putatur; quia videlicet Dei filius in assumpta carne, post mortem & resurrectionem suam ascendit in caelum, ac nostrae resurrectionis tempore descensurus est de caelo ad iudicandos vivos & mortuos.

Quis continuit spiritum in manibus suis? Omnis spiritus & humanus & angelicus, & animalium & procellarum ne deficiat, Dei potentia continetur.

Quis colligavit aquas quasi in vestimento? De ipso etiam psalmista: Congregans sicut in utraque aquas maris.

Quis suscitavit omnes terminos terra. Terminos terrae à torpore infidelitatis, velut à somno ad credendum in se suscitavit. Et nunc omnia quae per orbem vivunt & crescunt, homines, animantia, germina, Dominus ut sua quaeque vita subsistant, excitat: & in die iudicii cunctum à quatuor ventis caeli genus humanum à morte suscitabit.

Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus si nosci? De Dei Patris & Filii nomine dicit: cuius mysterium saecularis sapientia naturaliter scire non potest, quamvis unum esse Deum qui omnia fecerit, per ea quae mirabiliter facta vident, intelligere potest. Si nosci, inquit, subauditur, tu qui de tua re jactas sapientia, nostrae fidei mysteria, stultitiam nuncupare praesumis?

Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. Haec & tota Christi Ecclesia novit, & illi maxime sentiunt, qui Deo secum morante, terrenae sapientiae fastium contemnant: quia nimirum omnis sermo divinae auctoritatis, corda electorum & igne charitatis accendit, & scientia veritatis illustrat, & vitiorum sordes, si quas in eis invenerit, consumit, & ab hostium insidiis, sperantes in se, cunctisque defendit adversis. Verum solertius intuendum: quia proprietatem Graeci sermonis, quod est πειραισμός, Latina translatio uno verbo non explicat. Unde aliquando ignitum, aliquando igne examinatum transfertur, ut: Ignitum eloquium tuum vehementer. Et argentum igne examinatum, quod utrumque in Graeco uno verbo dicitur πειραισμός. Et quod huic Salomonis sententiae simillimum sonat: Eloquia Domini igne examinata, id est, πειραισμός, ergo, protector est omnium sperantium in se, πειραισμός, ergo, significat, quod tanquam conflatum igne purgatum sit. Sicut enim quaecumque metalla igne conflata, sordem in se alienam atque inutilem non continent, totum quicquid in his residet, verum & perfectum, & omni vitiorum sorde purgatum est, ita eloquium Dei aeternorum in se bonorum fidem testans. Hinc illud est Domini: Iota unum aut unus apex non praeteribit à lege, donec omnia fiant. Vera enim omnia sunt, & extra omnem ambiguitatem, superflua inanitatis ignita.

Ne addas quicquam verbis illius, & arguas inveniarisque mendax. Non corruptas eloquia sanctorum Scripturarum, quod quidam haeretici ne his convincerentur, fecisse noscuntur.

Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Vanitatem & verba mendacia longe fac à me. Mendacitatem &